MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80066-11

AUTHOR:

HAAG, GERHARD VAN

TITLE:

GALERIO CAESARE...

PLACE:

MONASTERII...

DATE:

1885

Master Negative #

91-80066-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Haag, Gerhard van.
De Galerio Caesare... Monasterii Guestfalorum ex typographia Coppenrathiana, 1885.
37 p. 22 cm.

Thesis, Munster.

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6-26-91 INITIALS V.W.D.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

574 no.11 -75-

DE

GALERIO CAESARE.

DISSERTATIO HISTORICA

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

ALMAE LITTERARUM ACADEMIAE REGIAE MONASTERIENSIS

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDAS

TRADIDIT

GERHARDUS VAN HAAG

RHENANUS.

MONASTERII GUESTFALORUM.

EX TYPOGRAPHIA COPPENRATHIANA.

MDCCCLXXXV.

De Galerio Caesare.

Diocletianus anno 284 p. Chr. n. imperator factus, cum multis et infensis hostibus, qui undique in fines Romanorum invadebant, solus resistere non posset, anno imperii secundo Maximianum Herculeum Caesarem eundemque anno post Augustum fecit, qui occidentalem rei publicae partem administraret.[1]) Neque tamen quod speraverat, hac re impetravit. Itaque cum pericula in annos crescerent et hostium exercitus omnibus fere regni finibus imminerent, utrique Augusto Caesarem adjungere constituit, ut singuli imperatores singulas regni partes melius defenderent atque fines tutos redderent.[2]) Constantium Chlorum, ut Herculeo adjutorio esset, designavit; in orientali parte arma secum conjungere voluit Galerium Maximianum.

I.

Nomina hujus Caesaris nummis et inscriptionibus tradita haec sunt: Cajus Galerius Aurelius Valerius Maximianus.[3]) Priusquam

[1]) Aurelius Victor „De Caesaribus“ c. 39, 17 (ed. Avancenius 1733). — Zonaras l. 12 c. 31 (ed. in Corpore Spt. historiae Byzantinae. Bonn 1853). — Clinton „Fasti Romani“ Oxford 1845 ad annum 286. Cfr. Mommsen in „Berichte über die Verhandlungen der Kgl. Sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften zu Leipzig, histor.-phil. Klasse“ 1851 p. 50.

[2]) Eutrop „Breviarium historiae Rom.“ l. 9 c. 14 (ed. Cellavius Jena 1698). — Orosius „adversus paganos libri septem“ l. 7 c. 25 (ed. Haverkamp Lugduni Batav. 1767). — Zonaras 12, 31. — Jordanis „Romana“ 298 (ed. Mommsen Berlin 1882 in M. G. S. S. antiqu. V). — Chronicon Paschale ad annum 293 (ed. in Corpore Spt. histor. Byzant. Bonn).

[3]) Nummi inveniuntur apud Cohen „description des monnaies“ London 1868 vol. 5 p. 594 et vol. 7 p. 368 ss. Circumscribitur imago Caesaris nominibus Maximiani aut Galerii Valerii Maximiani aut C. Valerii Maximiani aut C. Galerii Valerii Maximiani. Inscriptionibus (ed. Mommsen Berlin 1873) continentur nomina

Caesar factus est, nomen Galerii Maximini ei fuisse puto, quo nomine a nonnullis scriptoribus appellatur.[1]) Nam „ex parte", narrat Lactantius, Diocletianum nomen Galerii „ominis causa" mutavisse, quia Maximianus Herculeus fidem summa religione praestitisset.[2]) Atque nomina Caji Aurelii Valerii Diocletianum ei attribuisse apparet, quippe qui ipse his cognominibus a multis fontibus ornetur. Cognomen Jovii, quod Diocletiano, quia summum deorum maxime colebat, impositum est,[3]) Galerium jam Caesarem assumpsisse scriptor „Chronici paschalis" contendit.[4]) Sed inscriptionibus hoc decus ei Augusto tantum tribuitur,[5]) neque alii scriptores referunt, Jovii nomen Galerio Caesari fuisse. Facilius intelligitur aliud cognomen Galerii sc. Armentarii, quod Aurelius Victor ei fuisse tradidit,[6]) in monumentis non inveniri. Nam et Caesari dedecori esse debuit, neque nomen generatim usitatum fuisse videtur, sed a nonnullis Romanis ei tributum, quia natus et educatus erat in Illyrico, in provincia a cultu Romano aliena, a parentibus, qui agris colendis et rebus pecuariis alebantur.[7])

Maximiani l. 3 No. 133, 6528, 449, aut Galerii Valerii Maximiani l. 3 No. 197a, 236, 307, 450, 463, 468, 480, 3205, 3711b, 4615, 6004, 6095, 6151, aut Galerii Aurelii Valerii Maximiani l. 3 No. 383.

[1]) Praxagoras in fragmentis hist. Graec. (ed. Müller Paris 1851) tom. IV p. 1. — Jordanis „Getica" (ed. Mommsen Berlin 1882) c. 16.

[2]) Lactantius „de mortibus persecutorum" (ed. Dübner Paris) c. 18.

[3]) Aurelius Victor „de Caes." 39, 19.

[4]) Chronicon paschale a. 293, 294, 297, 300, 302, 305.

[5]) Inscriptiones Latinae l. 3 No. 3522, 5325. — Eckhel „doctrina nummorum" (ed. Vindobonae 1828) vol. 8 p. 36 probat ex aversa parte unius nummi, cui inscribitur „virtus. Jovi. Caesaris" hoc cognomen Caesari fuisse. Cohen habet hunc nummum in vol. 5 p. 596 No. 27.

[6]) Aurelius Victor „de Caes." 39, 24. „Epitome" 40, 1. 40, 15.

[7]) Verisimilem esse hanc sententiam probatur his verbis Lactantii („de mort. pers." c. 9): „Inerat huic bestiae (Galerio) feritas a Romano sanguine aliena. Non mirum, quia mater ejus Transdanubiana infestantibus Carpis in Daciam confugerat — et verbis Aurel. Victor. („de Caes." 39, 26) qui postquam dixit: His omnibus (Caesaribus) Illyricum patria erat" statim prosequitur: „qui quamquam humanitatis parum, ruris tamen et militiae miseriis imbuti satis optimi rei publicae fuerunt". Et idem dicit alio loco („Epitome" 40, 15): ‚Ortus parentibus agrariis, pastor armentorum, unde ei cognomentum Armentarius" Denique si cognomen hoc ubique in usu fuisset, etiam alii fontes praeter Aurel. Vict. certe tradidissent.

Natione erat Galerius, ut jam supra dici, Illyricus.[1]) Mater Romula, cum in laeva Danubii parte habitasset, Carpis novas res molientibus in alteram fluminis ripam fugerat atque prope Sardicam consederat.[2]) In hac regione propter aquae inopiam et collium multitudinem parum frugifera[3]) Galerius natus[4]) annos juventutis degebat. Parentes, cum neque ignobili genere, neque parvis fortunis essent,[5]) quam optime puero educando operam dedisse verisimile videtur. Sed multis rebus impediebatur Galerius, quominus humanitate et litterarum disciplinis excelleret. Nam Illyricum jam per multos annos perpetuis bellis vexatum erat atque incolae hujus provinciae tempestatibus et miseriis vitae rusticae subjecti minus doctrina bonarum artium, quam corporis dexteritate et robore instruebantur. Ita etiam Galerius corporis robore et magnitudine praestabat, cum litteris eum bene eruditum fuisse fontes non referant. Idcirco verisimile videtur, eum ab ineunte juventute rei militari idoneum habitum esse.[6]) Atque ipse, quia de suis viribus virtute persuasum sibi habebat, libenter hanc disciplinam secutus est, sperans se omnes difficultates superaturum et

---

[1]) Aurelius Victor „de Caes." 39, 27. (Illyricum hoc loco sensu latiore sumitur cfr. Forbiger „Handbuch der alten Geographie" Hamburg 1877 p. 552.)

[2]) Lactantius „de mort. persec." c. 9.

[3]) Forbiger „Hdbch. d. a. G." p. 745.

[4]) Lactantius „de m. pers." c. 9. — Aurel. Victor „Epitome" 40, 16. — Jordanis „Romana" 298 — Chronicon Hieronymi: a 2306 (ed. Schoene Berlin 1875).

[5]) Aurel. Vict. dicens („Epitome" 40, 15): „Ortus Galerius parentibus agrariis, pastor armentorum" hanc sententiam refellere non potest. Nam a tempore Claudii Augusti multi imperatores Romani humili loco nati esse dicuntur. (Cfr. S. S. historiae augustae ed. Jordan et Eysenhard. Berlin 1864 vol. 2 p. 137, 170, 186, 210.) Quod mihi minus probabile videtur, quia iis temporibus vix fieri poterat, ut puer humilibus parentibus ortus rex magni imperii redderetur. Accedit, quod Lactantius nostram sententiam defendit dicens („de mort. pers." c. 11) „mater Galerii erat deorum montium cultrix, quae sacrificabat paene quotidie et vicarios suos dapibus et epulis exhibebat".

[6]) Aurel. Victor „de Caes." 39. 27. „Epitome" 40, 15. — Lactantius „de mort. pers." c. 9 dicit: „Erat huic bestiae naturalis barbaries et feritas a Romano sanguine aliena; erat corpus moribus congruens, status excelsus. caro ingens et in horrendam magnitudinem diffusa et inflata". Quae verba cum Lactantium odio persecutoris Christianorum inflammatum scripsisse appareat, haud magni momenti sunt.

magnas res perfecturum esse. Qua de re summo studio operam dedit, ut praestaret omnibus aliis secum stipendia merentibus. Neque frustra laborem suscepit. Factus enim „eximius et felix bellator“ et „egregius in re militari“ excellebat fortitudine et „usu bonae militiae“.[1]) Atque tantopere fortuna ei favisse videtur, ut postea et putaret et diceret, se insolito modo hoc fato natum esse, ut magnum aliquod et mirabile perficeret.[2]) Accedit, quod imperatoribus Aureliano et Probo ducibus militaribus usus est, qui etiam Diocletianum, Licinium, Constantium viros rei militaris peritissimos reddere poterant, quia ipsi fortitudine et scientia belli gerendi praestabant.[3]) Inde ab hoc tempore Diocletiano persuasum fuisse verisimile est, Galerium praestantissimum belli ducem fore, et quanti postea Diocletianus ejus merita duxerit, ex eo apparet, quod haud multo postquam imperator factus est, eum exercitui magno praefecit, quocum ad Danubii ripas contra barbaros saepissime in fines Romanos impetus facientes pugnavit.[4]) Sed quid Galerius hoc loco profecerit, utrum rem bene gesserit necne, neque minus, utrum, antequam Caesar nominatus est, res difficiles praestiterit, an munera parvi tantum momenti administraverit, fontibus deficientibus decerni non potest. Attamen eum majoribus rebus praefuisse et in

[1]) Aurel.Vict. „de Caes.“ 39, 27; „Epitome“ 40, 15. — Eutrop. „Breviar.“ 10, 2.

[2]) Lactantius „de mort. pers.“ c. 9 ex Marte se genitum esse eum dixisse tradit. — Aurel. Victor „Epit.“ 40, 17, dracone matrem compressam esse eum affirmasse narrat.

[3]) Multi excellentes duces belli exeunte saeculo tertio p. Chr. n. instructi erant a Probo (Vopiscus „vita Probi“ c. 21) inter quos Licinium fuisse Moses Choronenses („historia Armenica“ London 1734 l. 2 c. 76) narrat. Galerius autem „amicus veteris contubernii et a prima militia familiaris“ (Licinio) nominatur. (Lact. „de mort. pers.“ c. 20.) Aurelius Victor „de Caes.“ 39, 28: „Quanta his (Galerio et Constantio) Aureliani et Probi institutio fuit“.

[4]) Hieme anni trecentesimi tertii Lactantius („de mort. pers.“ c. 18) Galerium dicentem facit: Jam fluxisse annos quindecim, quibus in Illyricum id est ad ripam Danubii relegatus cum gentibus barbaris luctaretur, cum alii intra laxiores et quietiores terras delicate imperarent“. Si his quindecim annis adnumeratur tempus belli Persici, quo Galerius in alia regione pugnabat, apparet, eum jam anno ducentesimo duodenonagesimo aut ducentesimo undenonagesimo ad Danubium profectum esse.

Illyrico veterem fortitudinem prae se tulisse inde conjici potest, quod dignus habitus est, qui Caesar fieret.

II.

Kalendis Martiis anni ducentesimi nonagesimi alterius[1]) Diocletianus Galerium loco alto, qui tria fere millia a Nicomedia aberat, Caesarem nominavit, vestem purpuream insigne imperii ei

[1]) Diem statuunt Eumenii panegyricus Constantio (ed. Arnzten Traject. 1790) c. 3 p. 247: „O Kalendae Martiae, sicuti olim volventium annorum, ita nunc aeternorum auspices imperatorum“. — Lact.„ de mort. pers.“ c. 35: Cum futura essent vicennalia Kalendis Martiis impendentibus“ — Idatius „Fasti“ (ed. in corpore S. S. historiae augustae a Klettenberg et Wildeck, Heidelberg 1743) a. 291. — Errat Chronicon Paschale a. 293. Difficilius est annum statuere. Tillemont „histoire des empereurs“ Bruxelles 1719 vol. 4 p. 513 s. annum ducentesimum nonagesimum alterum tenendum esse demonstrat. Nam Lactantium „de mort. pers.“ c. 35 dicere, vicennalia Galerio celebranda fuisse Kalendis Martiis anni trecentesimi duodecimi. Ergo regnare incepisse Galerium anno ducentesimo nonagesimo altero aut tertio. Illum autem annum statuendum esse, quia in edicto, quod Galerius a. diem Kal. Maj. anno trecentesimo undecimo proponi jusserit, ei tribunicia potestas XX tribuatur. (Cfr. Eusebius „historia ecclesiastica“ l. 8 c. 17 (ed. in Corp. SS. h. Byzant. Francfurt 1832). — Sed falsam esse hanc Tillemoni sententiam Mommsen (Sitzungsberichte der kgl. sächs. Gesellschaft der Wissensch. hist.-phil. Classe 1851 p. 50) affirmat, quia lege „de pretiis venalibus“ anno trecentesimo primo lata Galerio tribunic. potestas IX tribuatur. Ergo Galerium nonnisi anno ducentesimo nonagesimo tertio Caesarem factum esse posse. — Equidem huic Mommsenii sententiae assentire non possum, quia compluribus causis gravis momenti refutatur. Et primum quidem Diocletianus a. d. III Kal. Mart. anno ducentesimo nonagesimo tertio Sirmii legem tulit (cfr. Mommsen „über die Zeitfolge der Verordnungen Diokletians“ in d. Abhandlungen der Akademie der Wissenschaften, Berlin 1860 p. 428). Cum autem via recta Sirmio Nicomediam quindecim circiter millium esset, Kalendis Martiis Diocletianus Nicomediae esse non poterat. — Deinde „Excerpta Valesiana“ (ed. appendix Ammiani Marcellini Gardhausen, Leipzig 1874) c. 3 referunt, Galerium undeviginti annos imperatorem fuisse, et Aurel. Vict. „de Caes.“ c. 40 Caesarem eum fuisse tredecim annos dicit. Cum Galerium mortuum esse Id. Maj. anno trecentesimo undecimo et Diocletianum imperio se abdicasse Kal. Maj. anno trecentesimo quinto constet, Tillemont verius judicasse mihi videtur. — Denique si anno ducentesimo nonagesimo tertio Caesares nominati essent, intelligi non posset, quare leges initio anni ducentesimi nonagesimi tertii latae etiam a Caesaribus inscriptae essent (cfr. Mommsen„ Abhandlg. der Akademie d. Wissensch.“ 1860 p. 417).

induens. Quod ut solemnius ageretur, statuam signo Jovis ornatam ibi erectam esse puto.[1]) Ut eum etiam consanguinitate secum conjungeret atque paratiorem gravi officio redderet, Augustus Caesari Valeriam filiam in matrimonium dedit; uxorem autem, quae ei erat, repudiari jussit.[2]) Ex illa filium genuit nomine Candidianum, qui anno ducentesimo nonagesimo quinto aut anno ducentesimo nonagesimo sexto natus est.[3]) Praeterea fontes etiam filiae Galerii mentionem faciunt, quam ex priore uxore genitam esse concludi potest, quippe quae jam hieme anni trecentesimi quinti Maxentio, Maximiani Herculii filio nupsisset.[4])

Quamquam fontibus de privilegiis et officiis Caesarum non uberius agitur, tamen aliquatenus statuere possumus, quem locum Caesares tenere Diocletianus voluerit. Et primum quidem inde, quare nominati sunt, certe probari potest, quae praecipue iis gerenda fuerint. Si Diocletianus provincias ad fines vergentes ab hostibus vastari et a regno Romano secerni nolebat, necesse erat, exercitus multiplicari et bella geri a ducibus, qui summa fortitudine et scientia rei militaris praediti et omnibus viribus pro patria pugnare parati erant. Cum tali animo duces jam per multos annos non fuissent, quippe qui omnes ut bellis gerendis gloriam et gratiam militum adipiscerentur studuissent, in animum induxit ut exercitus viris traderet, qui certa spe succedendi in locum Augustorum ducti pro se ipsis patriam defendentes pugnarent. Itaque Caesares „heredes designati augustae majestatis“[5]) et fortissime fines contra hostes tueri jussi sunt.[6]) Atque jam

[1]) Lact. „de mort. pers.“ c. 19. Solam nominationem referunt: Aurel. Vict. „de Caes.“ 39, 24, Jordanis „Romana“ 298. Zonaras 12, 31. Orosius 7, 25. Eutrop. 9, 14, Chronic. Eus. a. 2308.

[2]) l. sub [1]) citati.

[3]) Lactantius „de mort. pers.“ c. 20: Candidianus, qui tunc (305) novennis erat.

[4]) Lact. „de mort. pers.“ c. 18.

[5]) Aelius Spartianus in vita Aelii Veri (hist. aug.) c. 2: „Quasi quidam principum filii virtute designati augustae majestatis heredes.“

[6]) Orosius 7, 25: „Hoc periculo permotus legit Caesares“ — Chronicon Hieronymi a 2306: „Ob quae Constantius et Galerius Caesares adsumuntur.“ — Aur. Vict. „de Caes.“ 39, 24: „His de causis Constantium et Galerium Caesares creatos in affinitatem vocant.“ — Eutrop. 9, 22.

prius civitate inter duos Augustos ita divisa, ut Maximiano Herculeo Africa, Italia, Gallia, Diocletiano Illyricum, Asia, Oriens obvenerit,[1]) tum Diocletianus has provincias suae partis Galerio administrandas dedit: Graeciam, Illyriam, Moesiam, Daciam, Macedoniam, Thraciam, Pannoniam.[2])

Quae potestas ad has provincias administrandas Galerio fuerit, accurate exponere non possum, quia fontibus non uberius traditum est. Attamen quaedam de hac re probare licet praecipue ex iis, quae Ammianus Marcellinus de Caesaribus Gallo et Juliano narrat, cum ipse contendat, similitudinem fuisse inter officia Caesarum Diocletiani et imperatorum sequentium.[3]) Galerius igitur exercitui praeerat, cui omni aliorum potestate

[1]) Eutrop. 10, 1 unius imperatoris fuisse contendit Galliam, Italiam, Africam, alterius Illyricum, Asiam, Orientem. — Item Orosius 7, 25 et Eusebius „de martyribus Palaest.“ (appendice octavi libri hist. eccles.) c. 13. — Etiam Aurel. Vict. 39, 30 Herculeo Africam, Italiam et cuncta, quae trans Alpes Galliae sunt“, tribuit, quocum consentit Zosimus 2, 8 „*ἱστορία νέα*“ ed. „Corpus S. S. hist. Byzant. Bonn 1832.“

[2]) Aurelius Victor „de Caes.“ 39, 30. Galerii partem pertinuisse dicit „ab Illyrici oris usque ad Ponti fretum,“ qua contineri apparet: Illyriam, Macedoniam, Thraciam, Moesiam, Daciam, Pannoniam et probabiliter etiam Noricum. Errat Praxagoras (Müller fragm. hist. Graec. 4 p. 1) dicens: Graeciam, Asiam minorem, Thraciam Galerio tributas esse, cum Diocletianus ipse Bythinia, Arabia, Africa septentrionali, Aegypto functus sit. Cujus Illyricum fuerit cum hoc loco non referat Praxagoras, nomine „Graeciae“ totam peninsulam usque ad Germaniae limites eum comprehendisse puto. Asiam autem minorem non ad Galerium pertinuisse Lact. c. 19, Eutrop. 10, 2, Zosimus 2, 8, Aurel. Vict. epit. 40, 1 probare mihi videntur, qui omnes Maximino, qui partem Diocletiani postea accepit, „orientem“ vel „provincias ad orientem versus“ tribuunt. Idem probari posse puto ex Aurel. Viet. „de Caes.“ 39, 33 dicente: „Bello Persico exorto Diocletianum Alexandriam profectum provinciam credidisse Maximiano Caesari, ut relictis finibus (sc. provinciae i. e. Asiae minoris) in Mesopotamiam progrederetur.“ — Neque minus Tillemont errare mihi videtur, qui Pannoniam superiorem Herculei fuisse, Pannoniam inferiorem Galerii contendit. (4 p. 37). Nam occidentalem Pannoniae partem ad Galerium pertinuisse apparet, quia Acinco (cfr. Mommsen-Marquart „röm. Altertümer“ IV[1] p. 293), ubi anno ducentesimo nonagesimo quarto (Idatius a. 294) castra a Galerio munita sunt, in Pannonia inferiore sita erat. Et orientalem partem Galerii fuisse ex Aurel. Viet. „de Caes.“ 40, 9 liquet.

[3]) Ammianus Marcellinus: XIV, 11, 10.

exclusa imperabat,[1]) quem ipse conscribebat et instruebat.[2]) Inde sequitur, ut ad milites alendos et duces sustentandos et ad bella gerenda Caesar tributa exegerit et ex suo arbitrio distribuerit.[3]) Etiam bellum indicere et pacem componere Caesaris fuisse puto inconsulto Augusto.[4]) Sua igitur sponte et suis viribus et opibus bellum gerebat, sed etiam ab Augusto ad bellandum cogi poterat.[5])

Atque sicut in bello ita etiam in pace Caesaris potestas multo aliorum magistratuum praestabat. Nam non solum potestatem vitae necisque habebat[6]) sed etiam sententiam ferre praesidum contrariam ei licebat et appellationes ab iis, qui a praesidibus puniti erant, recipiebat.[7]) Leges autem ferre summorum imperatorum tantum fuisse verisimile est, quia omnes leges, quae supersunt, primo loco ab ipsis inscriptae sunt.[8])

Denique etiam ex titulis, qui Caesaribus fuisse inveniuntur, aliquatenus concludere licet, quas potestates habuerint. Titulos

[1]) Lactant. „de mort. pers." c. 18: „Jam conflixerat (Galerius) Maximiano sene eumque terruerat injecto armorum civilium metu." c. 7: „In quatuor partes orbe diviso et multiplicatis exercitibus". c. 18: „Didicerat Diocletianus augeri ab Galerio exercitum."

[2]) Eutrop. 9, 24: „Per Illyriam Moesiamque copiis contractis" (per Galerium). — Lact. „de mort. pers." c. 7: „Diocletianus orbem terrae et avaritia et timiditate subvertit, cum singuli imperatores longe majorem numerum militum habere contenderent, quam priores principes habuerant."

[3]) Lact. „de mort. pers." c. 7. — Aurel. Vict. „de Caes." 39, 31.

[4]) Ammianus Marcellin. 17, 8, 5. 17, 10, 4. — „Panegyrici veteres" IV. 14 Constantius nominatur „belli pro imperii jure praeceptor". — Neque haec sententia refelli potest eo, quod Diocletianus pacem cum Persis composuit, nam hoc bellum Galerius loco Diocletiani gessit ideoque hujus erat pacis conditiones ferre.

[5]) Aurel. Vict. „de Caes." 39, 33—37. — Eutrop. 9, 24—25. — Ammianus Marcellinus: 14, 11, 10. — Aurel. Vict. „de Caes." 40, 6: „Galerius Severum arma in hostem ferre propere jubet."

[6]) Ammianus Marcellinus 16, 5, 12. — Euseb. „de martyr. Pal." c. 2.

[7]) Eusebius „de martyr. Palaest." c. 6. — „Panegyr. veteres" 10 c. 4. — Eckhel vol. 8 p. 41.

[8]) Mommsen dicit „Abhandlungen der Berliner Akademie der Wissenschaften" 1860 p. 419. „Ueber die Frage, ob auch den Caesares die Befugnis zu rescribiren zugestanden, liegen bestimmte Zeugnisse nicht vor; aber alle Wahrscheinlichkeit spricht dafür, dass das Consistorium, aus dem die Rescripte hervorgingen, dem Caesar nicht zustand.

enim, qui potestatem quandam comprehendunt, Caesaribus tributos esse reperimus tribuni[1]) et imperatoris.[2]) Quamquam illa continebatur sacrosanctitas et jus vetandi et potestas de magistratibus omnibus judicandi,[3]) tamen eo tantum modo Caesaribus haec jura fuisse possunt, ut iis exercendis Augustorum potestates non violarent. Idem dicendum est de potestate imperatoris, quae maximi momenti erat. Nam Caesares imperatores exercitui praeerant et omnia proconsulum[4]) jura exercebant. Legati et quaestores eorum dicto audientes erant eorumque erat magistratuum judicium corrigere.[5]) Omnes alii tituli Caesaribus honoris causa fuisse mihi videntur, quia duobus, quos nominavimus, praecipua jura regii imperii continebantur.[6]) Appellatur autem Galerius in nummis et inscriptionibus „nobilis Caesar"[7]) aut „fortissimus et invictissimus"[8]) deinde „dominus noster"[9]), „princeps juventutis"[10]) aut „nobilissimus ac fortissimus" aut simpliciter „nobilissimus".[11]) Consulatu Galerius Caesar functus est anno ducentesimo nonagesimo quarto, ducentesimo nonagesimo septimo, trecentesimo, trecentesimo altero, trecentesimo quinto.[12]) Sed tituli „pater patriae", „divus", „augustus", „pontifex maxi-

[1]) Eusebius „histor. eccles." 8 c. 17 Galerio anno trecentesimo undecimo tribuniciam potestatem XX fuisse contendit. — Mommsen „Berichte der kgl. sächs. Gesellschaft der Wissenschaften" 1851 p. 2.

[2]) Eusebius „histor. eccles." l. 8 c. 17 imper. XIX ei tribuit. — Lactant. „de mort. pers." c. 7. — „Panegyrici veteres" IV c. 14.

[3]) Mommsen-Marquardt II² p. 1104.

[4]) Analogia ex Eckhel „doctrina num." VIII p. 339 et 340 concludi potest Galerium proconsulem appellatum esse.

[5]) Mommsen-Marquardt „röm. Altertümer" II² p. 1099.

[6]) Cohen „monnaies" V p. 594 ss. VII p. 368 ss. — „Inscriptiones Latinae" III No. 6528, 133. — Eckhel doctrina num. VIII p. 35.

[7]) „Inscript. Latinae" III No. 383.

[8]) „Inscript. Latinae" III No. 383, 3711 b. — Cohen „descript. des mon." VII p. 368, V p. 595 et 597.

[9]) „Inscript. Latinae" III No. 383. — Eckhel „doctr. num." VIII p. 35. — Cohen „monnaies" V p. 594 ss. VII p. 368 ss.

[10]) „Inscript. Latinae" III No. 449.

[11]) „Inscript. Latinae" III No. 197 a. 236, 307, 450, 463, 468, 480, 502, 3205, 3711 b, 4615, 6094, 6095, 6151.

[12]) cfr. hos annos apud Klinton „fasti Romani".

mus", „pius felix" summis tantum imperatoribus fuerunt, cum nullis fontibus Caesaribus adscripti esse inveniantur. Insignia autem Caesarum atque Augustorum eadem fuisse fontes referunt. Sicut Diocletianus ita etiam Galerius veste purpurea utebatur; [1]) corona laureata, lorica aut paludamento ornatus in nummis describitur.[2]) Ergo sola ea re, quod Diocletianus pontifex maximus erat et quibusdam titulis pluribus honorabatur, Galerium superasse videtur. Attamen non negligendum est, Caesares factorum rationem reddere debuisse Augustis et ab iis punitos aut laudatos esse, prout rem bene aut male gessissent.[3]) Atque etiam in omnibus aliis rebus Augustis audientes erant, ita ut non tam imperatores essent summa potestate affecti, quam adjutores et servi Augusti, qui soli omnia negotia obire non poterant.[4]) Neque vero alio modo concordia inter regnantes esse poterat, quae tantopere a rerum scriptoribus laudatur.[5]) Aurelius Victor affirmare non dubitat, alios imperatores Diocletianum tamquam parentem seu magnum deum coluisse, cui rei magna ab eo laus tribuitur.[6])

[1]) Lact. „de mort. pers." c. 19. — Entrop. 9, 21. — Sextus Rufus (appendix ad Entrop.) c. 25. — Ammianus Marcellinus 14, 11, 10.

[2]) Cohen „descript. des monnaies" V p. 594 ss. VII p. 368 ss.

[3]) Galerius a Narseo victus ab Augusto male tractatur, cum bello Persico finito magno honore affectus sit.

[4]) Lactant. c. 18: Duo sunt in republica, qui summam rerum teneant, item duo minores, qui sunt adjumento. — Ammianus Marcellinus 14, 11, 10. — Aurel. Vict. „de Caes." 42, 19. — Eckhel „doctr. num." vol. 8 p. 5—6. — Mommsen in den Abhandlungen der Berliner Akademie der Wissenschaften 1860 p. 419 dicit: „Die ganze Stellung des Caesars ist mehr die eines zu den Regierungsgeschäften mitzugezogenen Thronfolgers, als eines Mitherrschers, und wenn ihm gleich ein Sprengel zugeteilt wird, so nehmen doch innerhalb desselben die Kaiser oft ihren Aufenthalt. — Chronicon Hieronymi a 2310: Caesares socii imperii adscripti sunt. — Chronicon Paschale a 293: Galerius in principatum adscitus est.

[5]) Aurelius Victor „de Caes." 39, 28—29. — Vopiscus „vita Carini" c. 3. — Lactant. c. 18. — Julian „Caesares" ed. Heusinger. Gotha 1432 p. 10.

[6]) Aurel. Vict. „de Caes." 39, 29—30.

III.

Hac potestate et his privilegiis praeditus Galerius omni cum fortitudine, quae in eo erat, ad opus conficiendum aggressus est.[1]) Aegerrime autem ferendum est, quod a nullo scriptore accurate et uberius, quae Galerius ad Danubii ripam gesserit, tradita sunt. Itaque concludere licet, magna proelia cum hostibus eum non commisisse sicut Constantium et Herculeum gessisse narratur. Sed quis dubitet, quin magnas res perfecerit, cum multis barbarorum gentibus, quae jam tum ex septentrione in agros Illyrici invadebant, obstiterit. Notum enim est, jam Aurelianum Daciam in sinistra Danubii parte sitam Carpis concessisse incolisque hujus provinciae in altera fluminis parte agros dedisse. Et Caro regnante Sarmatae partem Pannoniae diripuerant omnesque Romanos repulerant.[2]) Quibus hostibus ut ex loco munitissimo occurreret, Galerius haud ita multo postquam Caesar factus est, castra contra Acinco et Bononiam constituisse videtur, loco maxime idoneo,[3]) unde cum hostibus irruentibus pugnaret. Inde primum cum Carpis et Marcomannis Galerium conflixisse puto. Nam Aurelius Victor seditione Britannica, quam Constantius sedavit, narrata ita pergit: Et interea caesi Marcomanni Carporumque natio omnis in solum Romanum translata est.[4]) De Carpis quidem consentit cum Aurelio Victore Jordanis dicens, Carpos devictos et in solum Romanum translatos esse.[5]) Idatius hanc victoriam reportatam esse narrat anno ducentesimo nona-

[1]) Cohen „descr. des mon." V p. 596 N. 145 et Eckhel „doctr. num." VIII p. 35 nummum Galerii Caesaris habent in parte aversa inscriptum: „primo auspic." Sensus hujus inscriptionis imagine Herculis infantis duos serpentes elidentis declaratur. „Ad Herculis mores Maximianus Caesarea dignitate recens ornatus vitam suam conformare instituit."

[2]) Vopiscus „vita Aureliani" c. 39. — vita Cari c. 9.

[3]) Idatius „fasti" ad annum ducentesimum nonagesimum quartum: „Castra facta sunt contra Acinco et Bononiam". — Bononia sita erat ad Danubiam in Moesia (cfr. Forbiger „Handbuch der alten Geographie" II p. 349. — Locus ideo idoneus erat, quia hostes usque ad alteram fluminis ripam progressi erant et prope castra Onagrinum situm erat, magnum Romanorum castellum.

[4]) Aurel. Vict. „de Caes." 39. 43.

[5]) Jordanis „Romana" c. 299.

gesimo quinto,[1]) quocum consentire videntur Jordanis[2]) et Eumenius[3]) et Aurelius Victor, qui quamquam hoc bellum post victorias in Africa ab Herculeo, in Gallia et Britannia a Constantio reportatas narrat, tamen conjunctione „interea“ declarat, eodem fere tempore ac narrata hoc bellum gestum esse. De Marcomannis autem aliis in fontibus nihil invenire potui, sed etiam Galerium hos fudisse apparet. Nam alios imperatores praeter Diocletianum tempore, quo Marcomanni caedebantur, occupatos fuisse Aurelius Victor dicit neque minus Marcomannos cum Carpis conjunctos fuisse significare videtur,[4]) quos a Galerio victos esse constat.[5]) Etiam Hieronymus, quamvis in tempore statuendo falso ab Idatio dissentiat, victoriam de Carpis reportatam refert, sed adjungit idem atque his etiam Basternis[6]) evenisse.[7]) Attamen vix credibile est, etiam hanc totam gentem in fines Romanos translatam esse, praesertim cum Hieronymi sententia aliis fontibus non probetur. Mihi quidem Eutropius rem melius compertam habuisse videtur, qui bello Persico relato ita pergit: „Varia deinceps et simul et viritim bella gesserunt (Diocletianus et Galerius) Carpis et Basternis subactis, Sarmatis victis, quarum nationum ingentes captivorum copias in Romanis finibus locaverunt.[8]) Eutropius igitur Romanos secundis proeliis cum his populis usos esse contendit,[9]) sed multos captivos tantum in fines Romanos transiisse affirmat. Attamen Carporum gentem, quia omnes alii scriptores

---

1) Idatius „fasti ad annum ducentesimum nonagesimum quintum“: „Consulibus Fusco et Anolino Carporum gens universa in Romania se tradidit.“

2) Quia Jordanis refert de hoc bello, priusquam bellum Persicum exponit, putasse videtur, ante bellum Persicum cum Carpis pugnatum esse.

3) Eumenius (panegyrici vet.) in oratione Constantio Angliae expugnatori anno ducentesimo nonagesimo septimo habita c. 7 appellat hanc victoriam „proximam illam ruinam Carporum“.

4) Aurel. Vict. „de Caes.“ 39, 43.

5) Jordanis „Getica“ c. 16.

6) Basternae sunt gens Sarmatica, cfr. Forbiger „Handbuch der alten Geographie“ p. 769.

7) Hieronymi chronic. ad a. nonum Diocletiani.

8) Eutrop. „breviarum h. R.“ 9, 15.

9) Consentit cum Eutropio Orosius „advers. pag.“ l. 7 c. 25 et Excerpta Valesiana felicem fuisse eventum comprobant c. 2, 3.

consentiunt, totam Romanis admixtam esse magis verisimile videtur. Ita igitur contra omnes hos populos Galerium rem bene gessisse apparet; sed eventus non majoris momenti fuerunt, quam ut impetus barbarorum arcerentur; alioquin enim fontes eos certe tradidissent. Eumenius quidem bellum „Carpis ruinam fuisse“ dicit, sed quomodo hoc posito atque concesso translatio totius gentis comprehendi potest? Quanto autem successu Galerius hostibus restiterit, ex eo concludi potest, quod ejus vires anno ducentesimo nonagesimo septimo non jam ad fines tutandos necessariae videbantur.[1]) Proelia enim, quae nominavimus, ante bellum Persicum commissa esse et Hieronymus, Aurelius Victor, Idatius, Eumenius locis laudatis contendunt et ex eo apparet, quod Galerium Caesarem factum, ut fines Romanos defenderet, bellum non usque ad annum ducentesimum nonagesimum octavum distulisse certum est. Idcirco vocabulo „deinceps“, quo Eutropius loco citato utitur, non tempus significari puto, sed dici tantum, praeter bellum magnum Persarum etiam alia quaedam bella minoris momenti gesta esse.[2]) Errat autem Eutropius loco citato dicens: „Varia bella et simul et viritim gesserunt“ (sc. Diocletianus et Galerius). Nam Diocletianus ad bella, quae diximus, gerenda vix arma cum Galerio communicasse videtur nec solus ad Danubium pugnasse. Nam per annum ducentesimum nonagesimum tertium et primos sex menses anni ducentesimi nonagesimi quarti semper fere Sirmii morabatur, sed nec hoc tempore ullam victoriam reportatam esse narratur, nec postea eum in Galerii parte diu fuisse ullo traditur fonte.[3]) Porro bellum Sar-

---

1) Hoc anno bellum Persicum geri coeptum est.

2) Huic sententiae contradicere videtur Orosius VII. 25, qui bello Persico narrato ita pergit: „Postea per eosdem duces strenue adversus Carpos Basternasque pugnatum est.“ Sed hoc vocabulum „postea“ Orosius ex vocabulo „deinceps“ Eutropii sumpsisse mihi videtur, quippe qui multis locis tam accurate cum Eutropio consentiat, ut eum hujus libro in conscribenda historia praecipue usum esse putem.

3) Mommsen „Abhandlungen der Berliner Akademie der Wissenschaften“ 1860 p. 428 ss. Anno ducentesimo nonagesimo septimo Diocletianus bellum Aegyptiacum confecit (cfr. Clinton a. 297) ad quod gerendum diu in Aegypto fuit, cum solam Alexandriam per octo menses obsideret.

maticum a solo Galerio gestum esse constat[1]) neque minus solus Galerius victoriam de Carpis reportavit.[2])

Restat, ut praeclarissimum illud Galerii factum, bellum Persicum, describamus. Narseus, nepos Saporis regis, eo tempore rex Persarum erat. Etiamsi splendor et potestas, quibus quinquaginta ante annis regnum Persarum floruerat, paulum decreverant, tamen etiam tum fines regni late patebant, et vires et opes ab omnibus finitimis metuebantur.[3]) Quin etiam imperator Valerianus contra Persas pugnans captivus factus et Armenia sub Persarum potestatem redacta erat.[4]) Neque minus hoc bello factum erat, ut rex Armeniae captus deponeretur et filius ejus ab amico servatus ad Romanorum imperatores confugeret.[5]) Ab his benigne receptus mox fortitudine et ingenio talem se praestabat, ut a Diocletiano dignus haberetur, qui regnum majorum suorum reciperet.[6]) Et initio quidem Tiridati — hoc enim nomen juveni erat — res secundae favebant. In Perside ipsa diversis principibus inter se de regno certantibus,[7]) Armenii, qui jugo Persarum indignabantur, summo cum gaudio eum receperunt. Sed Persae paulo post Armenia iterum in potestatem redacta Romanis, cum hostem protexissent, bellum inferre constituerunt.[8]) Regnum Persarum cum vicinum esset provinciis Diocletiani, huic ipsi bellum gerendum erat, praesertim cum opus summi momenti neque facile ad perficiendum putaretur.[9]) Sed sive ignavia commotus, ut Lactantius contendit,[10]) sive quod bellum Aegyptiacum nondum fini-

[1]) Excerpta Valesiana c. 2, 3. — Zonaras XII, 33.

[2]) Jordanis „Getica“ c. 16.

[3]) Vita Cari c. 9: Plerique Romani vi fati quadam fieri putabant, ut Romanus princeps Ctesiphontem transire non possit.

[4]) SS. histor. august. II p. 67. Ammianus Marcellinus 23, 5, 11.

[5]) Moses Chorenensis „historia Armenia“ London 1734 l. II. c. 23, 25.

[6]) Moses Chorenensis „historia Armenia“ II c. 76.

[7]) „Panegyrici veteres“ III, 1. (Lact. „de mort. pers.“ c. 9.)

[8]) Lact. „de mort. pers.“ c. 9: „Narsens concitatus domesticis exemplis avi sui Saporis ad occupandum orientem magnis copiis inhiabat.“

[9]) Quantum Romani hoc bellum duxerint, ex Vopisco apparet dicente in vita Carini, Galerium natum esse, qui acceptam ignominiam Valeriani captivitate deleret. SS. hist. aug. II p. 224.

[10]) „De mort. pers.“ c. 9.

verat, ut Aurelius Victor refert,[1]) Galerium a ripis Danubii revocavit eumque bello gerendo praefecit, cum ipse bello incepto cum exercitu in Syria moraretur.[2]) Inter spem metumque fluctuabant animi Romanorum, uter ex bello victor discederet. Galerius, ut erat audax et strenuus, itinere per Mesopotamiam facto Persas delere studebat.[3]) Quibus proelii equestris peritissimis hic locus aptissimus erat ad pugnandum. Itaque cum primis duobus proeliis commissis aequo Marte discessum esset tertia pugna inter Carrhas et Callinicum Galerius victus est.[4]) Eutropius cladem Galerii factam esse affirmat, quod incaute hostes aggressus esset neque satis copiarum ei fuisset; alteram harum causarum etiam Sextus Rufus affert. Aurelius Victor autem quia locus Romanis minime aptus fuisset, Persas superiores fuisse affirmat. Atque haec causa mihi quoque maxime verisimilis videtur, praesertim cum Zonaras Galerium cum „justis copiis“ in bellum profectum esse narret, neque parvas manus ei ad hoc bellum gerendum datas esse credibile sit, denique quia bellum redintegratum in Armeniam, terram silvestrem, translatum est.[5]) Locum autem cladis, qui idem fere fuit, atque ille, ubi Crassus cum decem legionibus fusus fugatusque erat, Gibbon secundum Plutarchum et Xenophontem ita fere describit. Per sexaginta fere millia a Carrhis usque ad Euphratem flumen planum amplissimum patuisse, totam hanc regionem fuisse aridam et vacuam arboribus, fruticibus, aqua refrigerante.[6]) Romanis igitur non solum cum hostibus, sed etiam cum aestu et siti pugnandum erat, cum hostes summa celeritate in pedites Romanos impetu facto se reciperent. Ita Galerii exercitu deleto,

[1]) „De Caes.“ 39, 33 quocum consentit Zonaras 12, 31. Sed hoc concesso intelligi non potest, quare Diocletianus fuso fugatoque Galerii exercitu nondum ipse bellum renovaverit.

[2]) Ammianus Marcellinus 14, 11, 10.

[3]) Aurel. Vict. „de Caes.“ 39, 33.

[4]) Solus Orosius VII c. 25 duas primas pugnas commissas esse refert. Unde repetiverit hoc factum, invenire non potui. De tertio proelio narrant: Eutrop. IX c. 25. — Sextus Rufus c. 25. — Zonaras XII, 21. — Aurel. Victor „de Caes.“ 39, 34. — Jordanis „Romana“ c. 301.

[5]) Aurel. Victor „de Caes.“ 39, 35.

[6]) Gibbon „Geschichte der Abnahme und des Falls des röm. Reiches“ Deutsche Uebersetzung Wien 1790 II p. 171.

ipse ad Diocletianum in Syriam effugit, a quo male acceptus est. Atque adeo ira inflammatus Diocletianus fuisse dicitur, ut collegam et amicum, conjugem filiae, imperatorem, quem antea plurimi duxerat, per mille passus purpuratum ad vehiculum currere jusserit.[1]) Qua contumelia Galerius tamquam cote ad virtutem usus esse traditur. Statim a Diocletiano petivit, ut sibi liceret regni et sui ipsius honorem amissum bello renovato restituere.[2]) Hac re permissa cum reliquiis copiarum veteranos et tirones per Illyricum et Moesiam contractos[3]) atque auxilia a Gothis quaesita[4]) adjunxisset, cum magna multitudine militum ad Euphratis ripam brevi tempore pervenit.[5]) Hoc flumen transgressus per Armeniam in hostes contendit.[6]) Montibus hujus provinciae hostes, qui praecipue equestribus copiis superabant, valde impeditos esse necesse erat, cum pedites Romani et facilius viam ingredi et minore cum difficultate se recipere possent.[7]) Accedit, ut Galerius summa cum fortitudine in pugnam profectus sit,[8]) quippe qui ipse cum duobus militibus, ubi hostes consedissent, exploraverit.[9]) Itaque Persae, qui propter victoriam tam facile impetratam tutos se putabant, improvisa hostium propinquitate[10]) deterriti atque primo impetu facto tantopere oppressi sunt, ut una victoria bellum finiretur.[11])

---

[1]) Eutrop. IX, 24. — Sextus Rufus c. 25. — Ammianus Marc. 14, 11, 10. — Chronicon Hieronymi a. 2317. — Orosius VII c. 25.

[2]) Sextus Rufus c. 25.

[3]) Eutrop. IX, 25. — Aurel. Victor „de Caes." 39, 34. — Orosius VII, 25.

[4]) Jordanis „Getica" c. 21.

[5]) Orosius VII, 25.

[6]) Aurel. Victor „de Caes." 39, 34. — Orosius VII, 25. — Lact. „de mort. pers." c. 9. — Eutrop. IX, 25. — Sextus Rufus c. 25.

[7]) Aurel. Victor l. c. dicit: „Armenia, quae ferme sola seu facilior vincendi via est."

[8]) Orosius VII c. 25. — Eutrop. IX c. 25.

[9]) Eutrop. l. c. — Sextus Rufus c. 25.

[10]) Sextus Rufus l. c. dicit: „Subito Galerius innumera Persarum agmina aggressus est." Lactant. „de mort. pers." c. 9: „Ille (G.) insidiis suis barbaros, quibus mos est cum omnibus suis ad bellum pergere, multitudine impeditos et sarcinis occupatos non difficulter oppressit."

[11]) Aurel. Vict. „de Caes." 39, 35. — Lact. „de mort. pers." c. 9. — Idatius „fasti" a 297. — Zonaras XII c. 31. — Chronicon paschale a. 297.

Narseus ipse pugnans vulneratus est, attamen ex tumultu effugit.[1]) Tota autem castra cum gazis omnibus, major exercitus pars, uxores, sorores, filii regis praeda Romanorum facti sunt.[2]) Quos propinquos Narsei Galerium bene tractasse Sextus Rufus tradit.[3])

Interea Diocletianus, qui in Mesopotamia ad exitum belli animum intenderat,[4]) cum rem bene gestam esse certior factus esset, Galerio victori obviam profectus, ut ipse praesens facienda disponeret, eum magno honore affecit.[5]) Deinde ambo Nisibi morantes cum Narseo de pace componenda egerunt.[6]) Hic enim paulo postquam in Mediam effugit, Apharbanum amicum legatum ad Galerium miserat, qui conditiones pacis proponeret. Apharbanus supplex Galerio occurrit et data potestate loquendi ita fere dixit:[7]) Romanum et Persicum imperium esse tamquam duo luminaria et oportere alterum alterius sicut oculos luce illustrari et splendore neque ad exstinctionem et eversionem invicem sibi molestos et graves esse. Hoc enim non virtutem sed levitatem et mollitiem censeri. Nam qui inferiores sibi nihil prodesse posse putarent, conari eos, qui sibi adversarentur, tollere et evertere. Non autem oportere Narseum omnibus aliis regibus imbecilliorem existimari, sed Galerium tanto reliquis regibus superiorem esse, ut ab eo solo merito victus sit, tametsi ne Narseus quidem a majorum suorum virtute absit. Praeterea adjunxit Apharbanus: Mandatum sibi esse, omnia proprii regni jura Romanorum humanitati committere; aequum esse ipsum ea dicere, neque ideo conditiones, quibus pacem fieri vellet, se ferre; sed id omne im-

---

[1]) Lact. „de mort. pers." c. 9: „fugato Narseo". — Orosius VII c. 25: „Narseo in fugam acto". — Eutrop. IX c. 25: „Pulso Narseo cepit uxores". — Zonaras XII c. 31: „Narseum vulneratum usque ad interiorem Persiam persecutus est." Haec sententia refelli non potest per Aurel. Vict. „de Caes." 39, 34 dicentem „Narseum in ditionem subegit (G.) simul liberos conjugesque et aulam regiam" praesertim cum Narseum ex loco remoto cum Galerio de pace tractasse expositurus sim.

[2]) Vide locos p. 16 sub [11]) citatos et Sext. Ruf. c. 14.

[3]) Sextus Rufus c. 14.

[4]) Orosius VII c. 25. — Lact. „de mort. pers." c. 9. — Eutrop. IX, 25.

[5]) Chronicon Hieronymi a. 2318. — Eutrop. IX, 25.

[6]) Petrus Patricius in fragm. hist. Graecor. „de legatione" IV p. 188.

[7]) Fragm. hist. Graec. IV p. 188.

peratoris arbitrio se permittere. Hoc solum Narseum hortari, ut sibi uxores et filios redderet; quos si reciperet multo deditiorem se illi fore beneficiis, quam si armis vicisset. Ne nunc quidem satis pro merito gratias se agere posse, quod captivi haud quidquam contumeliae passi essent, sed ita habiti, ut sperarent fore, ut pristinae suae nobilitati quam primum restituerentur. Deinde legatus Persarum in memoriam Galerii inconstantiam rerum humanarum revocavit. Ad quae Galerius iratus et toto corpore commotus: Non recte, inquit, Persas petere, ut alii varietatis et inconstantiae rerum humanarum meminissent, quippe qui ipsi, cum secundae res ipsis contigissent, hominum calamitatibus ultro instare non destitissent. „Bene adversus Valerianum moderationem in victoria tenuistis. Nam dolo eum cepistis et usque ad extremam senectutem et mortem turpem et foedam non dimisistis. Etiam post mortem nefaria arte cutem ejus custodientes mortali corpori immortalem ignominiam inusistis.“ In ista digressus imperator dixit: Se quidem flecti non his, quorum Persae mentionem fecissent, sed se vestigiis majorum insistere, quibus mos fuerit „parcere subjectis et debellare superbos“. Itaque Apharbanum jussit regi suo Romanorum mansuetudinem et clementiam renuntiare et spem facere non multo post fore, ut impetrata ab imperatore venia captivi ad ipsum redirent.

Fieri non potest, ut hoc responso omnia contineantur, quae voluit Galerius.[1]) Nam non minores conditiones facere voluit, quam ut magna regni Persarum pars Romanis concederetur. Diocletianus autem, cui haec omnia disponenda erant, quia ab eo jussus erat Galerius bellum gerere, ut erat valde moderatus, aequam pacem novo bello praetulit. Postquam cum Galerio Nisibi consilium communicavit, Sicorium Probum magistrum memoriae ad Narseum misit, qui certas pacis conditiones proponeret.[2]) Quem Narseus benigne et comiter excepit. Antea autem callide moras nectebat. Cum enim speraret, se legatos longo itinere defessos facilius sibi conciliaturum esse, usque eo Sicorium, qui consilii ipsius non

[1]) Aurel. Vict. „de Caes.“ 39, 35: Ni Galerius, cujus nutu omnia gerebantur, abnuisset, Romani fasces in provinciam novam lati essent.“

[2]) Fragm. hist. Graec. IV p. 188.

ignarus erat, ad Asprudem, Mediae flumen, detinuit, donec milites, qui hic illic dispersi erant, convenissent. Tum in interius conclave admissum reliquis omnibus remotis praeter Archapetum et Barsutorsum, quorum alter erat praefectus praetorio, alter Sumii dignitatem obtinebat, jussit Probum mandatum conficere. Conditiones, quas hic dicebat, secundum Petrum Patricium hae erant: ut Persae Romanis provincias Jutilenen cum Sophene-Arzamenen cum Carduene, Zabdicenen concederent — ut Tigris flumen utriusque imperii limes esset — ut Zintha, castellum in confinio Mediae situm, Armeniam terminaret — ut rex Iberiae sui regni insignia a Romanis accepta reciperet — ut commercii locus Nisibis esset ad Tigrim amnem sita. Conditionem primam aliam fuisse Ammianus Marcellinus dicit,[1]) qui expugnata esse haec loca contendit: Arzamenen, Moxenen, Zabdicenen, Rehimenen, Corduenen cum quindecim castellis, Nisibim, Singoram, Castra Maurorum aptissime in finibus Mesopotamiae et Armeniae sita.

Cum autem et ipse Ammianus Marcellinus et Sextus Rufus quinque provincias transtigritanas expugnatas esse dicant,[2]) quia Moxene tota in altera Tigris parte sita est,[3]) Petri Patricii sententia magis verisimilis videtur. Sed secunda conditionum parte, quam Petrus Patricius affert, falsi aliquid continetur, cum supra Tigridis flumen limitem refirmatum esse constet.[4]) Tertia conditione, qua terminus inter Armeniam et Mediam statuitur, concludi potest, Armeniae regnum restitutum et Tiridati sedem majorum donatam esse. Etiam Mesopotamiam Romanorum factam esse et parte secunda probatur et Sextus Rufus contendit.[5]) Ultimam conditionem ita intelligi debere puto, ut Nisibis locus commercii inter Persas et Romanos esset. Cui rei Narseum restitisse[6]) non mirum videtur. Neque quidquam ei profuit. Cum enim Sicorius

[1]) Amm. Marc. XXV, 7, 9.

[2]) Amm. Marc. l. c. — Sextus Rufus c. 14.

[3]) cfr. Spruneri atlas antiquus Gotha 1850 Nr. 16.

[4]) Sextus Rufus c. 14.

[5]) Sextus Rufus c. 14: Mesopotamia restituta est. — Aurel. Vict. „de Caes.“ 39, 37: „Pars terrarum nobis utilior quaesita, quae cum reposceretur, novum bellum exortum.“

[6]) Petrus Patricius in fragm. hist. Graec. IV p. 189.

diceret, sibi non licere, ullam conditionem mutare, Narseus propositionibus contentum se esse declaravit.[1]) Pace composita captivi omnes dimissi in patriam redierunt.[2]) Ita anno ducentesimo nonagesimo octavo[3]) hoc gloriosum bellum finitum est, quo Galerii auctoritas valde augebatur.[4])

Neque aliud bellum a Galerio in oriente gestum est. Si igitur in fontibus Galerius nominatur „Pers. max., Armeniac. max., Abdiaben. max.“,[5]) inde concludi non debet, contra hos populos separatim pugnatum esse. Sed erant hae gentes partes magni Persarum regni, quas singulas se vicisse imperatores gloriabantur. Alii tituli, qui eisdem fontibus Galerio tribuuntur, sc. „Britannic. max., Aegypt. max., Thebaic. max.“, ei adscripti sunt, quia singuli imperatores titulos singulos inter se communicabant, cum nec in Aegypto, nec in Britannia Galerium Caesarem pugnasse certum sit.

His rebus gestis Diocletiano regnante majora aut graviora bella in regno Romano non iam gesta sunt, si transmittimus, gentem Marcomannorum iterum fines suos amplificare conatam esse, quam Galerium anno ducentesimo nonagesimo nono vicisse Idatius narrat.[6]) Imperium undique obsessum intra sex annos ab omnibus hostibus liberatum erat et cives in pace vivebant usque ad persecutionem populi Christiani anno trecentesimo tertio exortam.

---

[1]) Zonaras XII, 31: „Romanis Narseus omnes res, quas volebant, concessit.“ — Fragm. hist. Graec. p. 189.

[2]) Fragm. hist. Graec. p. 188. — Zonaras XII, 31.

[3]) cfr. Clinton ad hunc annum.

[4]) Lact. „de mort. pers“. c. 9: „In tantos namque fastus post hanc victoriam Galerius elevatus est, ut jam detrectaret Caesaris nomen“ . . . . „Exinde insolentissime agere coepit.“ Hieronymi chronicon a. a. 18 Diocletiani: „Ingenti honore Galerius a Diocletiano suscipitur.“ Neque mirum; nam „adeo victor“, dicit Aurel. Vict. „de Caes.“ 39, 34, „ut fasces Romani paene in novam provinciam ferrentur.“ Et quantopere Persae a Romanis metuerentur, jam supra exposui. Idem contendit Eutropius IX, 25.

[5]) Edict. de pret. ven. apud Mommsen in „Berichte über die Verhandlungen der königl. sächsischen Gesellsch. der Wissensch.“ 1851 p. 2. — Edictum Galerii apud Eusebium h. e. VIII, 17.

[6]) Fasti a. a. ducentesimum nonagesimum nonum.

IV.

Aegerrime ferendum est, scriptores paganorum vix quidquam de Christianorum vexatione temporibus Diocletiani habita tradidisse. Eo pluris haberi debet libellus ille „de mortibus persecutorum“ a Lactantio conscriptus,[1]) quo uberius de hac re agitur. Accedit, quod scriptor illius operis ipso tempore, quo Christiani vexari coepti sunt, Nicomediae in aula Diocletiani degebat, ubi etiamtum Constantinus morabatur, qui postea imperator factús Lactantium magistrum liberorum habebat.

Denique Lactantio nec deerat ingenium nec humanitas et doctrina ita ut ad res judicandas aptissimus esset. Quibus de causis facta, quae refert, a nullo rerum auctore in disceptionem vocantur. Sed non tam dignus est Lactantius, cui credatur, ubi de hominum moribus et factorum rationibus existimat. Nam tanto odio in omnes Christianorum persecutores inflammatus erat, ut recte de iis judicare non semper posset. Neque praetermittendum est, quod Lactantius in conscribendo opere suo consilium tenebat, exponendi, quibus poenis omnes Christianorum persecutores dei voluntate affecti sint.[2]) Unde sequitur, ut et causae et successus eorum, quae persecutores executi sunt, facile falso afferantur. Quibus rebus bene cognitis Lactantium sequentes, nisi causis hujusmodi vel fontibus minoris momenti judicium ejus refellitur, speramus fore, ut quibus causis persecutio exorta sit, vere exponamus.

Lactantius igitur iam ante omnium Christianorum persecutionem Diocletianum in servos et milites, qui sacrificare recusabant, animadvertisse narrat. „Quum enim, inquit, in partibus orientis Diocletianus ageret, ut erat prae timore scrutator rerum futurarum, immolabat pecudes. Tum quidam ministrorum scientes dominum, cum adsisterent immolanti, imposuerunt frontibus suis

---

[1]) Ebert (Abhandlungen der Berliner Akademie 1870) sine dubio Lactantium auctorem hujus libri esse demonstravit.

[2]) Lact. „de mort. pers.“ c. 1: „De quo exitu eorum (persecutorum) testificari placuit, ut omnes, qui procul amoti fuerint, vel qui postea futuri sint, scirent, quatenus virtutem et majestatem suam in excindendis delendisque nominis sui hostibus summus ostenderit.“

immortale signum. Quo facto fugatis daemonibus sacra turbata sunt. Trepidabant aruspices et quasi non litassent, saepius immolabant. Verum identidem mactatae hostiae nihil ostendebant, donec magister ille aruspicum Tages seu suspicione seu visu ait, idcirco non respondere sacra, quod rebus divinis profani homines interessent.“ [1]) Qua re commotum imperatorem servos suos et milites sacrificare jussisse, Lactantius adjungit, quod nisi facerent, verberarentur. Sive sacerdotes paganorum hac simulatione usi sunt, ut Diocletianum contra Christianos incitarent, sive errore ducti Christianorum de rebus divinis opiniones haud leniter ferebant, quae inde secuta sunt ita aliis fontibus confirmantur, ut negari non possint.[2]) Eusebius in historia ecclesiastica non solum Galerium, sed etiam alios imperatores ante exortam communem persecutionem milites et servos Christianos punivisse narrat. Illum iam ante ceteros imperatores milites et praecipue ministros palatii omni vi ad deficiendum a religione Christiana coegisse in appendice ad librum octavum tradit. Alios ex magistratibus remotos, alios turpissime tractatos, alios supplicio punitos esse. Et in capite quarto libri octavi vexationes ubique ante edictum emissum in milites factas esse Eusebius refert. Militibus necessitatem allatam esse aut fidem negandi aut a munere abdicandi; quosdam etiam necatos esse; propter magnum Christianorum numerum communem

[1]) „De mortibus persecutorum“ c. 10.

[2]) Comprehendere non possum, Bernhardtum (Diokletian in seinem Verhältnis zum Christentum. Bonn 1862 p. 16) contendere hanc Lactantii narrationem refelli verbis Eusebii in „historia ecclesiastica“ VIII 1_1 dicentem: „Liest man diese Stelle des Eusebius ganz unbefangen, so kann man ohnehin darüber nicht in Zweifel sein, dass er sagen will, das Wohlwollen der Kaiser gegen die Christen habe bis zur Zeit der Verfolgung gedauert.“ Nam in eodem capite ejusdem libri Eusebii (VIII, 1_3) ita legitur: *ἡ μὲν δὴ θεία κρίσις, οἷα φίλον αὐτῇ, πεφεισμένως, τῶν ἀθροισμάτων ἔτι συγκροτουμένων, ἠρέμα καὶ μετρίως τὴν αὐτῆς ἐπισκοπὴν ἀνεκίνει, ἐκ τῶν ἐν στρατείαις ἀδελφῶν καταρχομένου διωγμοῦ.* Et caput quartum ejusdem libri disertis verbis incipitur: *Μυρίους μὲν γὰρ ἱστορῆσαι ἄν τις θαυμαστὴν ὑπὲρ εὐσεβείας τοῦ θεοῦ τῶν ὅλων ἐνδεδειγμένους προθυμίαν, οὐκ ἐξότουπερ μόνον ὁ κατὰ πάντων ἀνεκινήθη διωγμὸς, πολὺ πρότερον δὲ, καθ' ὃν ἔτι τὰ τῆς εἰρήνης συνεκροτεῖτο*, et porro: „*οὐκ ἀθρόως τε τῷ καθ' ἡμῶν ἐπαποδυομένου πολέμῳ, ἀλλ' ἔτι τῶν κατὰ τὰ στρατόπεδα μόνων ἀποπειρωμένου.*“ Ergo apparet Eusebium non putasse Diocletianum usque ad communem persecutionem Christianis benevolentiam praebuisse.

vexationem incipere imperatores non ausos esse. Consentit denique cum Lactantio Hieronymus dicens, iam anno trecentesimo Vetarium magistrum militiae Christianos milites persecutum esse, „paulatim ex illo tempore persecutione incipiente.“ [1])

Ex iis, quae dixi, apparet, scriptores consentire, milites et ministros ante annum trecentesimum tertium propter fidem multatos et eos quidem, ut sine dubio concludi potest, qui legibus vel praeceptis imperatorum conscientia commoti oboedire recusabant. Exempla quoque hujus rei in actis sanctorum afferuntur. Anno ducentesimo nonagesimo quinto Maximilianus quidam Tevestis urbe in Numidia sita capitis damnatus est, quia quominus Christianus stipendia mereret recusavit.[2]) Marcellus centurio anno ducentesimo nonagesimo octavo Tingitani, quae urbs in Gallia sita erat, necatus est, quia propter fidem a re militari se abdicavit.[3]) In eadem urbe eodem fere tempore Cassianus scriba praefectorius capite truncatus est.[4]) Anno ducentesimo nonagesimo septimo decimus quisque legionis thebaicae ad supplicium lectus est.[5])

Et re vera saepissime contigisse apparet, ut magistratus, ministri, milites legibus oboedire non deberent. Nam cultus deorum ita cum institutis rei publicae Romanae commixtus erat, ut nemo civis bonus esse videretur, quin diis serviret iisque sacra faceret. Etiamsi diversis paganorum religionibus in cultu perficiendo magna data erat libertas, Christianis haec concedi non poterat, quia ab omnibus sacris et ab omni alio deorum cultu abstinere eos oportebat. Praecipue milites et magistratus Christiani, qui publica sacra offerre nonnunquam lege obstricti erant vel iis interesse debebant, saepe non exigua difficultate afficiebantur. Si dux supplicationem vel sacrificium a toto exercitu in gratiarum actionem Jovi habitum iri voverat, Christiano militi adesse non licebat. Et apud quem milites jus-

[1]) Chronicon Hieronymi a. 2317.

[2]) Ruinart („Acta plurimorum sanctorum“ Amsterdam 1713) p. 300.

[3]) Ruinart l. c. p. 302.

[4]) Ruinart l. c. p. 304.

[5]) Baronius „annales ecclesiastici“ Lucae 1738 a. 297. — Gelpke „Kirchengeschichte der Schweiz“ anno trecentesimo altero hoc factum esse dicit.

jurandum dicerent, apud quem ad fidem praestandam obligarentur, nisi apud deos, quos per tot saecula omnes cives coluerant, quibus regni magnitudinem debebant? Deinde si ludi vel festi in honorem deorum ab omnibus civibus celebrabantur, nonne quid offensionis et nefandi habere videbatur, cum nemo Christianorum adesset? Connivebatur quidem in his omnibus rebus, cum vires regni bellis occupabantur, vel cum imperator imbecillus rem publicam administrabat, vel cum cultus deorum negligebatur, sed aliis temporibus ii, qui leges laedebant, puniebantur. Quod Diocletiano regnante eo magis evenire necesse erat, quia hic prudens et fortis imperator hostibus devictis ad cultum deorum augendum et ad instituta imperii renovanda et confirmanda summa opera tendebat. Nonnulla tantum ad hoc probandum afferam.

Ea re, quod Diocletianus tres imperatores secum rem publicam moderari voluit, imperatoriae potestati primum firmum praesidium dedit. Nam tumultus et imperatorum neces multo rarius perpetrabantur, cum imperatores semper restarent et seditiones facilius opprimerentur. Deinde hac institutione optime bella geri necesse erat, quod ad augendum imperatorum honorem multum valebat. Denique administratio singularum partium rei publicae, quia quatuor virorum opera gerebatur, multo accuratior et efficacior esse debebat. Itaque Lampridius Diocletianum „parentem aurei saeculi" nominat.[1]) Atque adeo Lactantius negare non potest, eum summa felicitate regnasse „consiliis suis et sociis electis."[2]) Et quod Diocletianus novis rebus expetivit, assecutus est. „Magis formam regiae consuetudinis, quam Romanae libertatis dedit imperio"[3]) ita ut sacrosanctus imperator sicuti deus coleretur atque magna servorum et magistratuum turba quotidie dicto ei audiens esset.[4]) Praetermitto provincias in plures partes

---

[1]) Lampridius „vita Heliogabali" c. 35.

[2]) „De mort. pers." c. 9.

[3]) Aurel. Vict. „de Caes." 39, 46.

[4]) Eutrop. IX 26: „Imperio Romano primum regiae consuetudinis formam, quam Romanae libertatis invexit adorarique se jussit, cum ante eum cuncti salutarentur.

divisas, magistratuum numerum auctum, leges multas datas esse.[1]) Sed quid ad cultum deorum augendum pertineat, breviter exponam. Disertis verbis Aurelius Victor narrat: „Honestiorum provectu et e contra suppliciis flagitiosi cujusque virtutum studia augebantur; veterrimae religiones castissime curatae."[2]) Atque etiam factis pietatem erga deos saepissime probabat imperator.[3]) Sibi ipsi veneratione Jovis commotus nomen „Jovii" adjunxit. Maximinianum autem eadem de causa Herculeum nominari voluit. Caesares eadem nomina postea acceperunt.[4]) Atque adeo imperatores inter se conjuncti fuisse videntur pietate quadam religiosa.[5]) Neque mirum, cum constet, Diocletianum non solum admodum religiosum fuisse, sed etiam „scrutatorem rerum immensium"[6]) omina et oracula futura praenuntiare putavisse. Nota est narratio, qua de causa, priusquam rerum potitus est, Aprum necaverit.[7]) Quia femina quaedam vaticinata erat, eum imperatorem fieri postquam aprum interfecerit, auctorem necis Numeriani, cui forte nomen Apri erat, gladio percussit. Simili modo alio tempore Diocletianum superstitione tantum commotum egisse Malalas refert.[8]) Cum enim Alexandria expugnata tantum sanguinis fundi jussisset, ut equus usque ad genua perduci posset, fortuito equus super corpus interfecti cecidisse dicitur et usque ad genua sanguine aspersus esse. Hoc Diocletianum omen putasse et statim necari vetuisse. Porro Galerii nomen superstitione

---

[1]) Cfr. Ritter „de Diocletiano novarum in re publica institutionum auctore" Bonn 1862.

[2]) Aur. Vict. „de Caes." 39, 47.

[3]) Zosimus II 7: „τῇ περὶ τὸ θεῖον ἀεὶ προσκείμενος ἀγχιστείᾳ." — „Panegyrici veteres" II c. 6: „Quanta est vestra ergo deos pietas, quos aris, simulacris, templis, donariis, vestris denique nominibus adscriptis, adjunctis imaginibus ornastis sanctioresque fecistis exemplo vestrae venerationis."

[4]) „Panegyrici veteres" II c. 6.

[5]) „Panegyrici veteres" II c. 7: „deinde id, quod maxime deorum immortalium religione conjunctum est, quanta vosmet invicem pietate colitis."

[6]) Aurel. Vict. „de Caes." 39, 48: „immensium scrutator." — Lactant. „de mort. pers.": „prae timore rerum futurarum scrutator."

[7]) Hist. aug. II p. 221. — Aurel. Victor „de Caes." 39, 14. — Eutrop. IX 20.

[8]) „Chronographie" Bonn 1821 I 14.

ductum Diocletianum mutavisse, jam supra dixi. Oraculum etiam ad persequendos Christianos aliquid effecisse mox videbimus.

Ex iis, quae dixi, apparet facillime fieri potuisse, ut Diocletianus cum Christianis confligeret. Et re vera ea de causa persecutionem exortam esse, quod Christiani leges veteres et disciplinam rei publicae spernebant, imperium auspiciumque abnuentes, etiam publico documento sc. edicto, quod Galerius anno trecentesimo undecimo promulgari jussit, demonstratur. Loci praecipui hujus edicti hi sunt:[1] „Inter cetera, quae pro rei publicae semper commodis atque utilitate disposuimus nos quidem volueramus antehac, juxta leges veteres et publicam disciplinam Romanorum cuncta corrigere atque id providere, ut etiam Christiani, qui parentum suorum reliquerant sectam, ad bonas mentes redirent. Siquidem in eadem ratione tanta eosdem Christianos voluntas invasisset, et tanta stultitia occupasset, ut non illa veterum instituta sequerentur, quae forsitan primo parentes eorundem constituerant, sed pro arbitrio suo atque ut iisdem erat libitum, ita sibimet leges facerent, quos observarent et per diversos varios populos congregarent. Denique cum ejusmodi nostra jussio exstitisset, ut ad veterum se instituta conferrent, multi periculo subjugati, multi etiam deturbati sunt. Atque cum plurimi in proposito perseverarent ...... contemplatione mitissimae nostrae clementiae intuentes et consuetudinem sempiternam, qua solemus cunctis hominibus veniam indulgere, promptissimam in his quoque indulgentiam nostram porrigendam, ut denuo sint Christiani et conventicula sua componant ita ut ne quid contra disciplinam agant." Hoc edicto, quod ab aliis aliter explicatum est,[2] dici apertum est, imperatoribus instituta rei publicae corrigentibus Christianos restitisse, quia non leges imperii sed suas servarent; itaque persecutionem exortam esse: cum autem imperatores vidissent, sese non assecuturos esse, quod petivissent, eam sublatam esse. Ergo negari non potest, Diocletianum, si opus renovandi rem publicam, quod sibi propo-

[1] Lact. „de mort. pers." c. 34. — Euseb. hist. eccles. VIII c. 17.

[2] Cfr. Keim „die röm. Toleranzedikte für das Christentum" im theol. Jahrbuch 1852 p. 267 ss. — Baur „das Christentum und die christl. Kirche der 3 ersten Jahrhunderte" p. 440 ff. — Bernhardt p. 11.

suerat, perficere voluisset, re ipsa ad Christianos persequendos coactum esse.[1] Attamen parcebat iis[2] permotus sive prudentia civili, sive ratione societatis, quae per tot saecula vehementissimis vexationibus turbata incolumis manserat, sive mansuetudine aut moderantia, qua indutus abhorrebat a caede tot hominum, quam videbat esse futuram.

Nam ita tantum comprehendi potest, eo regnante Christianos in re publica tanti aestimatos esse et tanta auctoritate usos esse. Jam anno secundo imperii Diocletianus renovare rem publicam incepit, iam exinde Christianos, etiamsi non persequebatur, tamen a muneribus arcere neque amore complecti debuit. Attamen Eusebius ex tempore, quo nondum persecutio communis exorta erat, haec narrat[3]: *Ὅσης μὲν καὶ ὁποίας πρὸ τοῦ καθ' ἡμᾶς διωγμοῦ δόξης ὁμοῦ καὶ παρρησίας ὁ διὰ Χριστοῦ τῷ βίῳ κατηγγελμένος τῆς εἰς τὸν τῶν ὅλων Θεὸν εὐσεβείας λόγος παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις, Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις, ἠξίωτο, μεῖζον ἢ καθ' ἡμᾶς ἐπαξίως διηγήσασθαι. τεκμήρια δ' ἂν γένοιτο τῶν κρατούντων αἱ περὶ τοὺς ἡμετέρους δεξιώσεις, οἷς καὶ τὰς τῶν ἐθνῶν ἐνεχείριζον ἡγεμονίας, τῆς περὶ τὸ θύειν ἀγωνίας κατὰ πολλὴν, ἣν ἀπέσωζον περὶ τὸ δόγμα φιλίαν αὐτοὺς ἀπαλλάττοντες τί δεῖ περὶ τῶν κατὰ τοὺς βασιλικοὺς λέγειν οἴκους, καὶ τῶν ἐπὶ πᾶσιν ἀρχόντων; οἳ τοῖς οἰκείοις εἰς πρόσωπον ἐπὶ τῷ θείῳ παῤῥησιαζομένοις λόγῳ τε καὶ βίῳ συνεχώρουν, γαμεταῖς καὶ παισὶ καὶ οἰκέταις, μονονουχὶ καὶ ἐγκαυχᾶσθαι ἐπὶ τῇ παῤῥησίᾳ τῆς πίστεως ἐπετρέποντες, οὓς ἐξέχως καὶ μᾶλλον τῶν συνθεραπόντων ἀποδεκτοὺς ἡγοῦντο.*" Atque adeo secundum Lactantium Nicomediae magna ecclesia Christiana erecta erat[4]), quae ex palatio imperatoris videbatur.

Accedit alia causa, qua Diocletianus Christianos persequi in animum non induxisse probatur. Nam alias intellegi non potest, quare Diocletianus tamdiu tardaverit, priusquam primum edictum

[1] Niehues „Papsttum und Kaisertum" Münster 1877 dicit p. 136: Im letzten Jahrhundert hatte jeder derartige Versuch, das Kaisertum nach innen und aufsen auszubauen zu Verfolgungen gegen das Christentum geführt.

[2] Lact. „de mort. pers." c. 10: „Hactenus Diocletiani furor et ira processit nec amplius quidquam contra legem aut religionem dei fecit."

[3] „Historia ecclesiastica" VIII. 1.

[4] Lact „de mort. pers." c. 9.

contra Christianos emisit. Anno ducentesimo nonagesimo octavo omnes hostes victi erant neque alicunde iam impetus aut seditiones timebantur. Si in animo habuisset Diocletianus Christianos delere, nihil eum impedivisset, quominus ad opus perficiendum aggressus esset.

Denique sententia mea vera esse videtur, eo quod Lactantius omnem culpam persecutionis exortae Galerio tribuit.[1]) Lactantium non intelligere apparet, eundem imperatorem, qui antea Christianis tantopere faverat, subito acrem eorum inimicum factum esse. An dubitari potest, quin verum sit, quod de Diocletiano persecutione nondum exorta refert [2]): „Hactenus ejus furor processit nec amplius quidquam contra legem aut religionem dei fecit.“? Nonne contrarium fecisse persecutorem Christianorum libenter dixisset, quem non minus quam Galerium oderat?[3]) Sed negari non potest, Nicomediae putatum esse, Diocletianum Christianos non valde odisse ideoque ne Lactantius quidem eum auctorem persecutionis fuisse probare audet.

His causis permotus puto Diocletianum nunquam ad persequendos Christianos gladium stricturum fuisse nisi aliae vires magno cum labore eum irritassent. Inter quas Galerium fuisse mihi certum videtur.

Natus e „montium cultrice“, cui Romulae nomen erat, Galerius iam puer Christianos odisse didicerat. Cotidie fere mater eius sacra faciebat et vicarios epulis exhibebat, quibus adesse Christianis non licebat. Sive ea re a Christianis religionem paganorum sperni sive maximum ab iis crimen in deos committi putabat, inde odium in Christianos concepisse et filium ad eos persequendos irritasse dicitur.[4]) Qua re facile intelligitur Galerium ante ceteros imperatores nonnullos Christianos poena affecisse[5]) et summa potestate accepta magno furore in eos animadvertisse. Accedit, quod etiam eiusmodi ingenii erat Galerius, ut Christianis inimicissimus esse deberet. Jam in pueri et magis

[1]) „De mort. persec.“ c. 11.
[2]) „De mort. persec.“ c. 10.
[3]) Cfr. „de mort. persec.“ c. 7.
[4]) „De mort. pers.“ c. 11.
[5]) Euseb. „hist. ecclesiastica“ I appendix ad l. VIII.

etiam in imperatoris animo durities inerat.[1]) Praecipue bello Persico confecto crudelitatem, qua reges Persarum utebantur, in fines Romanos transferre studebat. Si quis, quae fieri jusserat, non promptissimo animo efficiebat, magna poena multabatur. Qui rem parvi momenti parva cum contumacia negligebat, maiestatis laesae reus erat.[2]) Hoc animo indutum Galerium acerbissimum Christianorum inimicum fieri necesse erat, quippe qui liberam colendae religionis facultatem poscerent, neque legibus contrariis oboedirent. Quare eum ipsum maxime Christianis insidias parasse facile intelligitur neque minus satis probabile mihi videtur, eum quam maxima opera atque quocunque modo poterat, Diocletianum ad persequendos Christianos movere studuisse, ut Lactantius refert.

Atque multae res erant, quibus in hoc fine persequendo Galerius adiuvabatur. Nam multa exempla sine dubio afferre poterat, quibus Christianos ne in bello quidem oboedientes se praestare probabatur; neque minus e doctrina philosophorum, qui tum multis scholis florebant, repetebantur decreta, quibus Christianos esse delendos censebatur. Accedit, quod sacerdotes ethnici imperatores et cives saepe in Christianos incitabant et denique Diocletianus ipse parcendo Christianis, quominus renovaret funditus rem publicam impediebatur.[3])

Quorum omnium Galerium sibi conscium fuisse puto, cum hieme anni trecentesimi alterius Nicomediam proficisceretur. Lactantius, cui facta narranti ab omnibus viris doctis fides habetur, memoriae tradidit[4]): per totam hiemem ab anno trecentesimo

[1]) Lact. „de mort. persec.“ c. 9: „Inerat huic bestiae barbaries et feritas a Romano sanguine aliena“ c. 21: „Adeptus igitur maximam potestatem ad vexandum orbem, quem sibi patefecerat, animum intendit.“ — Aurel. Victor „de Caesaribus“ 39, 27: „Humanitatis parum habebat“ epit. 40, 15: „Inculta erat agrestique justitia“. Eutrop. X, 2 hoc refellere non potest dicens: „Erat probe moratus“, nam Eutropium nimis Galerio favere iam supra dixi.
[2]) Lact. „de mort. pers.“ c. 21.
[3]) Sententiae nonnullorum rerum scriptorum, qua dicitur, Galerium Diocletianum ad persequendos Christianos non permovisse, quia ei subditus fuerit, consentire non possum. Quid enim Caesarem impedivit, quominus hortando et admonendo Augusto adiumento esset? Immo num impossibile fuit, cum magna auctoritate accepta modum transiisse?
[4]) „De mort. pers.“ c. 11.

altero in annum trecentesimum tertium inter Diocletianum et Galerium Nicomediae consilium habitum esse. Cum memo admissus esset,[1]) omnes de statu rei publicae tractari arbitratos esse. Sed a Galerio viro religioso et fanatico Augustum ad persequendos Christianos incitatum esse. Hunc autem diu furori Caesaris repugnasse, cum neque orbem sollicitare neque sanguinem multorum fundere voluisset. Putasse enim Christianos libenter mori; satis esse, si palatinos et milites ab ea religione prohiberet. Attamen persuadendo Galerium rem eo adegisse, ut amicorum sententiam experiri ei placuisset. Deinde cum iudices pauci et pauci militares sententiam interrogati hostes publicae religionis tollendos esse censuissent, tamen imperatorem cunctatum esse et Apollinem consulere statuisse, cuius responsum religioni Christianae inimicum fuisse apparet.[2]) Etiamsi ira, quae ex his verbis a Lactantio adhibitis elucet,[3]) odio persecutorum religionis Christianae tribui debet, tamen cunctatio Diocletiani,[4]) causae quae afferuntur, tantopere ingenio summi imperatoris et rebus, quae tum erant, respondent, ut facta ipsa mihi vera esse videantur. An idem imperator, qui omnibus viribus ad rem publicam confirmandam operam dederat, celeriter ad vexationem Christianorum permoveri potuit, quam magno damno imperio fore videbat?[5]) Num imperatorem et conjugem et patrem, qui magna

[1]) Sententiam Burckhardi et Bernhardti, qui dicunt, si clandestinum consilium habitum sit, neminem, quid actum sit, scire potuisse, iam Hunziker refellit recte putans Lactantium iudicium Nicomediam incolentium referre.

[2]) Galerium Nicomediae fuisse, etiam Eusebius „histor. ecclesiastica“ VIII, 5 confirmat.

[3]) „Nam erat Diocletianus hujus malitiae; cum bonum quid facere decrevisset, sine consilio faciebat, ut ipse laudaretur; cum autem malum, quoniam id reprehendendum sciebat, in consilium alios vocabat, ut aliorum culpae adscriberetur, quidquid ipse deliquerat“. „Et qui aliter sentiebant, intellectu hominis (Galerii) voluntatis vel timentes vel glorificari volentes in eandem sententiam congruerunt.

[4]) Ad Apollinem consultum missum esse confirmat Euseb. „vita Constant.“ II 50 et 51.

[5]) Eutrop. X, 26: „Diocletianus moratus callide fuit sagax praeterea et admodum subtilis ingenio.“ Ergo tantum rationis sine dubio ei tribuendum est, ut e Christianorum magno numero paucos tantum a religione defecturos esse praeviderit.

mansuetudine praestabat,[1]) sua sponte religionem gladio et igni opprimere statuisse putas, cui magna subditorum pars, ipsa uxor et filia deditae erant? Itaque Lactantius recte judicasse mihi videtur, non Galerium solum Diocletianum permovisse. Quodsi Galerius a scriptoribus quibusdam „auctor persecutionis“ appellatur,[2]) hoc ita intelligi non debet, quasi ei soli culpa vexationis populi Christiani exortae tribuenda sit. Statui posse mihi videtur, eum odio in Christianos permotum secundis rebus, quae tum erant, usum esse, ut Diocletianum ad consulendum et amicos et oraculum adegerit, quibus annuentibus hic non iam resisti posse putavit.

V.

Mense Martio anni trecentesimi tertii ubique proposita sunt imperialia edicta, quibus ecclesiae Christianorum usque ad solum dirui, sacri codices flammis absumi iubebantur atque honorati infamia notari, plebei vero libertate spoliari, si in Christianae fidei proposito permansissent.[3]) His edictis Galerium non contentum fuisse Lactantius narrat; itaque alia via ad finem assequendum progressum esse. „Occultis ministris,“ ita dicit Lactantius,[4]) „palatio subiecit incendium. Et cum pars quaedam conflagrasset, Christiani arguebantur, velut hostes publici. Et tum ingenti invidia simul cum palatio Christianorum nomen ardebat. Illos consilio cum eunuchis habito de exstinguendis principibus cogitasse . . . Diocletianus ira inflammatus excarnificare omnes suos protinus coepit. Nihil usquam reperiebatur, quippe cum familiam Caesaris nemo torqueret. Sed quindecim diebus intermissis aliud rursus incendium molitus est (Galerius). Tunc Caesar medio hiemis profectione parata prorupit eodem die contestans fugere se, ne vivus arderet.“

[1]) Aurel. Victor „de Caes.“ 39, 14. „Historia August.“ II p. 221.

[2]) Euseb. „hist. eccles.“ VIII, 16 et supplem. I ad l. VIII. — Excerpta Valesiana II, 297. Suidas p. 691 et 692.

[3]) Eusebius „histor. ecclesiastica“ VIII c. 2. — Lactant. „de mort. pers.“ c. 13. — Chronicon Hieronym. ad a. 2320.

[4]) „De mort. persec.“ c. 14.

Palatium paulo post edictum primum promulgatum incendio deletum esse constat, id quod praeter Lactantium etiam Constantinus,[1]) qui tunc in aula Nicomediae morabatur, et Eusebius in historia ecclesiastica[2]) retulerunt. Sed quaeritur unde ortum sit. Fulmen, quo secundum verba Constantini palatium deflagratum esse videtur, causa incendii fuisse non potest.[3]) Nam hoc posito et concesso non intelligitur, quare servos suos excarnificaverit Diocletianus neque minus, quomodo Christiani auctores incendii dici potuerint. Ergo aut Christianos quosdam odio inflammatos, aut paganorum quendam a Galerio incitatum causam dedisse, aut negligentia vel temeritate palatinorum incendium motum necesse est. Tertium non invenitur. Incendium casu quodam ortum esse mihi quidem minus probabile videtur, quia quindecim diebus post primum incendium palatium iterum ignem cepit. Eo magis enim Lactantium etiam hac de re verum retulisse puto, quod de primo incendio falsa non retulit. Accedit, quod etiam Constantinus ei assentire videtur, cum vix probari possit, Diocletianum unius incendii causa perpetuo timore ignis affectum esse.[4])

Suspectum vero habemus Galerium, cum auctores alterius quidem incendii Christianos esse affirmaverit et statim profectus sit dicens se uri nolle. Nam si Galerius singulos Christianos auctores nominare potuisset, sine dubio eos accusasset. Deinde abiit aut timore commotus aut sperans Diocletianum maiore odio inflammatum iri. Illud, quis affirmare audet? Hoc eum fecisse odio et ira, qua in Christianos incensus erat, bene intelligi potest.

Christianos causam incendii fuisse refellere student Eusebius et Lactantius. Constantinus remotam incendii causam poenam

[1]) Constantini „oratio ad sanctorum coetum“ c. 25 (ed. in „Corpus Patrum Graecorum“ t. I. pars 2. Frankfurt 1832) „λαλεῖ Νικομήδεια οὐ σιωπῶσι καὶ οἱ ἱστορήσαντες, ὧν καὶ αὐτὸς ὢν τυγχάνω. ἐδηοῦντο μέντοι τὰ βασίλεια καὶ ὁ οἶκος αὐτοῦ, ἐπενεμομένου σκηπτοῦ, νεμομένης τε οὐρανίας φλογός.

[2]) „Hist. eccles.“ VIII, 6: οὐκ οἶδ' ὅπως ἐν ταῖς κατὰ τὴν Νικομήδειαν βασιλείαις, πυρκαιᾶς ἐν αὐταῖς δὴ ἡμέραις ἀφθείσης ἣν καθ' ὑπόνοιαν ψευδῆ πρὸς τῶν ἡμετέρων ἐπιχειρηθῆναι λόγου διαδοθέντος.

[3]) Non necesse est verba Constantini „ἐπενεμομένου σκηπτοῦ“ ita interpretari, cum σκηπτός omnismodi malum significet et verba „φλὸξ οὐρανία“ nonnisi poenam a deo inflictam putari voluisse Constantinum appareat.

[4]) „Oratio ad sanctorum coetum“ c. 25.

dei fuisse affirmat, cum proximam silentio tegat. Sed Eusebium sibi ipsum contradicere apparet veram causam se nescire affirmantem. Haec contradictio apud Lactantium quidem non invenitur, cum occulte instructus rem scire potuerit. Attamen eum certum auctorem significare potuisse non puto; nam si cognovisset, accuratius de hac re eum scripsisse verisimile est. Deinde mirum videtur, quod Constantinus, qui tunc in aula morabatur, nihil de auctore memoriae prodidit. Neque vero negligere debemus, certe fieri non potuisse, si Christianus quidam auctor fuisset, ut iterum incendium oreretur. Apparet enim Diocletianum satis sibi providisse prima calamitate accepta, ne iterum in vitae periculum adduceretur.[1])

[1]) Hunziker „Zur Regierung und Christenverfolgung des Kaisers Diocletian und seiner Nachfolger“ in Büdinger „Untersuchungen zur röm. Kaisergeschichte“ Leipzig 1868 dicit p. 170:

I. „Diese Beschuldigung des Galerius von Seiten des Lactanz (Brand), die wir bei den „mortes“ finden, ist unvereinbar mit dem geschichtlich feststehenden Charakter des Galerius und der Unterwürfigkeit, ja abergläubischen Verehrung, welche derselbe als „Caesar“ seinem Augustus entgegen brachte.“ Valde dolendum est, quod non accuratius Hunziker dicit, quae ingenii lineamenta Galerio fuerint, quibus arcebatur. incendium parare. Equidem odio Christianorum, duritie animi, inopia humanitatis, quam ipsi ethnici ei fuisse affirmant, facile eum moveri potuisse statuo.

II. „Diocletian muss den Glauben an eine Anstiftung durch christliche Hofleute geteilt haben, wenn wir den consequentesten Mann seiner Zeit nicht einer unerhörten Inkonsequenz zeihen wollen.“ Sed quid paulo post edictum emissum incendio exorto facilius verum putari poterat, quam Christianos incendisse palatium?

III. „Constantin hat sich [es handelt sich um die falsche Angabe desselben, ein Blitz habe den Palast entzündet] geirrt oder absichtlich uns getäuscht oder Beides. Aber da er, wie er selbst sagt, Augenzeuge gewesen, so ist Irrtum ausgeschlossen; also hat er uns absichtlich täuschen wollen, um der Nachwelt den Glauben von der Unschuld der Christen beizubringen.“ Ad quod primum respondendum est „σκηπτός“ sensum habere posse tempestatis magnae aut cuiusque mali neque φλὸξ οὐρανία significare aliud hoc loco ac poenam a deo inmissam. Accedit, quod nemo eorum, qui tum erant, verbis Constantini credidisset, quippe qui omnes dixissent, fulmina ex nubibus eo die Nicomediae non prorupisse. Mihi quidem Constantinus causam incendii non referre videtur, quia nescit.

Ex dictis certum esse mihi videtur, plurimum suspicionis in Galerium cadere, sed nunquam diserte statui posse, quis auctor incendii fuerit, cum ipsi scriptores, qui iisdem temporibus erant, causam ignorent.

VI.

Etiam minus probari potest, quod Lactantius memoriae tradidit, Diocletianum a Galerio permotum esse, ut anno trecentesimo quinto a potestate regia se abdicaret. Audiamus, quid fontibus de hac re referatur. Eusebius narrat Diocletianum in periculosum morbum incidisse, cuius vi „de statu suae mentis“ fuerit; itaque ad privatam vitam se contulisse.[1]) Una cum eo Maximianum Herculeum, qui secundum inter imperatores locum obtinuerit, in solitudinem se recepisse, cuius rei causa silentio tegitur. Constantinus propter saevitiam vexationis Christianorum Diocletianum insaniae poenas dedisse contendit addens, fulminis ictum metuentem eum reliquam vitae partem degisse.[2]) Eutropius paulo recedens ab hac sententia dicit: „Cum ingravescente aevo parum se idoneum Diocletianus moderando imperio esse sentiret, auctor Herculeo fuit, ut in privatam vitam concederent et stationem tuendae rei publicae viridioribus et iunioribus mandarent.“[3]) Aurelius Victor eum ut „scrutatorem rerum immensium“ timuisse putat, ne „fragor quidam vel clades intestina rei publicae imminerent, ideoque se abdicasse.“[4]) Auctor panegyrici Constantio et Maximiano habiti causam morbum vel senectutem fuisse narrat.[5]) Idem refertur actis Marcellini martyris.[6]) Denique Julianus in

1) „Historia eccles.“ VIII, 13.

2) „Oratio ad sanct. coetum“ c. 25. Similem causam affert Johannes Antiochenus dicens: (Müller „Fragmenta hist. Graec.“ p. 602). „*Διοκλητιανὸς καὶ Μαξιμιανὸς μὴ δυνηθέντες περιγενέσθαι τοῦ Χριστιανισμοῦ καὶ μανέντες τὴν βασιλείαν κατέθεντο*“.

3) Eutrop. IX, 27.

4) Aurelius Victor „de Caes.“ 39, 37 addit: „Quamquam aliis alia aestimantibus veri gratia corrupta sit, nobis tamen excellenti natura videtur, ad communem vitam spreto ambitu descendisse.“

5) „Panegyrici veteres“ V c. 9.

6) Acta sanctorum a. 16. Januar 2. tom. ejusdem mensis (ed. Antwerpen 1643).

„Caesaribus“ breviter dicit „*κάμνοντος αὐτοῦ*“ Diocletianum se recepisse,[1]) quae verba, quia latiorem sensum habent, et cum Eutropii et cum Aurelii Victoris sententia congruere possunt. Sed omnes fontes, quos nominavimus, in eo consentiunt, quod Diocletianum non iam idoneum fuisse, qui regnaret, tradunt, sive senectute, sive morbo, sive insania. Optime cum iis convenit, quod Diocletianus palam die abdicationis dixisse fertur: se invalidum esse, requiem post laborem petere, imperium validioribus tradere, alios caesares subrogare.[2]) Solus Lactantius contendit a Galerio Diocletianum permotum esse, ut ad vitam privatam recederet. Diocletianum, ita narrat, Roma proficiscentem, ubi a. d. XII Kal. Dec. anno trecentesimo tertio vincennalia celebraverit, morbum levem at perpetuum traxisse. Gravi iam morbo ingravescente lectica plerumque vectum esse, ita ut aestate jam peracta Nicomediam venerit. Attamen circum novum, quem Nicomediae fecerit, eum dedicasse, quo facto ita languore oppressum esse, ut per omnes deos pro vita rogari jusserit; donec Idibus Decembribus luctus repente in palatio, maestitia et lacrimae, judicum trepidatio orta sint. Tota civitate eum mortuum dictum esse. Postero autem die famam dilatam esse eum vivere. Illo die sopitum animam eum recepisse, non autem totam. Exinde dementem eum factum esse, ita ut certis horis insaniret, certis resipisceret.[3]) — Paulo post Galerium in aulam profectum esse, qui omni qua potuerit arte Diocletiano persuaserit, ut se abdicaret. Cum Maximiano Herculeo iam antea Galerium congressum esse eumque terruisse iniecto armorum civilium metu. Diocletianum, qui interea epistolam a Maximiano Herculeo acceperit et audierit, Galerium copias augere, denique necessitate coactum ei concessisse, quid petierit.[4]) Haec narratio, quia singula accuratissime describuntur, speciem veri prae se fert. Atque etiam multa vera ea contineri vel eo apparet, quod Diocletianum debilem et invalidum fuisse aliis quoque fontibus constat. Ex quo mihi sequi videtur, ut prima et proxima abdicati-

1) Julianus Apostata „Caesares“ ed. Heusinger Gotha 1732 p. 10.

2) Lact. „de mort. pers.“ c. 19.

3) „De mort. pers.“ c. 17.

4) „De mort. pers.“ c. 18.

onis causa Diocletiani morbus quidam fuerit. Sed quaeritur, utrum sua sponte an a Galerio permotus consilium abeundi ab imperio ceperit. Morbum quidem Diocletiano suffecisse ad privatam vitam petendam facile intelligitur. Nam iam per duodeviginti menses aegrotus ita se habuerat, ut vix quidquam ad rem publicam administrandam perficere posset, quam rem talem imperatorem aegre ferre necesse erat, quippe qui saluti imperii augendae tantopere per tot annos operam dederat. Attamen non praetermittendum est, aetate non ita eum provectum fuisse, ut sanitatem se recepturum esse desperaverit.[1]) Unde concludi potest, morbum vix solam abdicationis causam fuisse. Quae sententia eo quoque probari videtur quod Maximianus Herculeus invitus[2]) ab imperio se abdicare coactus est. Aliud ac solam voluntatem Diocletiani animum Herculei commovisse, etiam inde apparet, quod simulatque filius eius Maxentius rerum in Italia potitus est, omni vi imperium recuperare studebat.[3]) Deinde mirum videtur, Diocletianum sua sponte Constantinum et Maxentium Caesares fieri noluisse.[4]) Haud quidem ignoro, nonnullos viros doctos putare Diocletiano semper propositum fuisse post vincennalia celebrata cum Herculeo se recipere et novis imperatoribus mandatum dedere, ut Caesares crearent. Sed haec sententia certis argumentis caret.[5]) Denique Galerius

[1]) Erat duodesexaginta annorum; cfr. Klinton „Fasti Romani" ad a. 316.

[2]) Eutrop. IX, 27. — Aurel. Victor „de Caes." 39, 47.

[3]) Orosius VII, 28. — Lact. „de mort. pers." c. 26. Eutrop. X, 2.

[4]) „Panegyrici veteres" V, 6 dicunt: „Constantinum puerum generum Maximiani fieri, statutum esse, ex quo eum successurum esse concludendum est." — Trebellius Pollio in „vita Claudii" c. 10 „omnibus persuasum fuisse narrat Constantinum imperatorem fore. — Lact. „de mort. pers." c. 18 refert, Maxentium generum Galerii fuisse et iam puerum se regnaturum esse speravisse.

[5]) Argumenta Hunzikeri, qui omni opera hanc sententiam defendit, refelli possunt.

a. Verbis, quae Maximinianus recedens a munere dixisse dicitur: „recipe Jupiter, quod commodasti", demonstratur quidem, eum imperium donum Jovis putasse, sed in certos annos ei hoc tributum esse non elucet.

b. Quod ad verba panegyrici V p. 331 attinet, ubi Herculeus regressus esse dicitur „consilii olim inter imperatores placiti constantia et pietate fraterna", perbene ad litteras ante abdicationem missas referri possunt, praesertim cum pergat orator „ne quem totius vitae summarumque rerum socium semper

tota hieme anni trecentesimi quarti Nicomediae morabatur; nec Herculeus nec Constantius adhibentur; vere anni trecentesimi quinti imperatores se receperunt. Quibus rebus facile concludi potest, egisse per hiemem Galerium cum Diocletiano de abdicatione. Atque hanc impudentiam Galerio fuisse negari non potest, ut omnibus viribus, quibus potuit, Diocletianum commovere studuerit, quippe qui bello Persico confecto iam exclamasse dicitur: „Quoad usque Caesar?"[1]) Attamen omnes causae allatae non tanti momenti mihi esse videntur, ut statui possit, Diocletianum auctore Galerio a potestate se abdicasse, praesertim cum consideremus, morbum Diocletiano suffecisse ad vitam privatam petendam et Lactantium, qui opera Galerii summum imperatorem regressum esse contendit, Galerio inimicissimum esse. Itaque tenendum esse puto, sua sponte Diocletianum Kalendis Mai. anni trecentesimi quinti ab imperio se abdicasse. Eodem die Galerius Augustus declaratus est.

habuisses [Herculeus] in alicuius festi communitate desereres" [oratio habita est anno trecentesimo septimo]. Deinde intelligi non potest, omnino invitum Herculeum ad vitam privatam se recepisse.

c. Gravior est tertia causa ab Hunziker allata. Galerium enim contendit Lactantius c. 20 eundem expletis viginti annis recedere voluisse. Sed ideo etiam Diocletianum regredi intendisse non intelligo. Deinde vocabulo „vel", quo Lactantius utitur, significari mihi videtur, eum in hac re non bene instructum esse.

Denique ex nummis (Eckhel VIII p. 12) et ex verbis Spartiaci (vita Aelii c. 2) apparet Diocletianum usque ad finem vitae regnare sibi proposuisse.

[1]) Lact. „de mort. pers." c. 9.